



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 3. An pretium receptum pro usu, & exercitio artis magicæ sit  
restituendum, præsertim si effectus, ob quem datum est, non obtineatur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

fidem somniis habendam homines attrahat: unde rectè Valentia *citt. q. 12. p. 3.* ait tunc vel maximè cavendum esse, ne somniis assentiamur, cum eventu comprobari videntur, ob ante allatam rationem.

- 69 Ad 2. Q. discernere à qua causa somnia proveniant, an scilicet à naturali, anue à Deo, vel à Dæmone, perquam difficile est; cum enim à qualibet ex his causis possint provenire, quis de illis justum, tutumque feret iudicium, & conjecturam? Unde Confessarii, & prudentis, probique Viri erit, ea, eoque modo, iisdemque regulis discernere, quibus divinæ revelationes à falsis discernuntur ut ait Delrius *l. c. conclus. 5.* ubi fasè explicat, quibus indiciis divina revelatio à Diabolica secernatur.

Valentia cum aliis *l. c.* breviter duo indicia, seu signa affert, ex quibus id conjectari possit, desumpta ex somniorum fine, & effectu, quem somnia post se relinquunt.

*Primum* est, considerare, ad quid somnium impellat, si enim somnia sint inhonesta, vel ad malum impellant, aut animum turbatum, vel tepidum, & ad virtutem indispositum relinquunt, haud obscurum est indicium, ea à malo spiritu immitti.

*Secundum.* Si somnia sint honesta, & hominem promptiorem reddant

ad benè operandum, animumque serenum, ac pacatum relinquunt, probabile est indicium à Deo provenire non tamen certum; cum sæpe Dæmon in Angelum lucis se transfiguret, ut facilius postea decipiat, & vana, ac falsa ex somniis suadeat, & repræsentet. Quando autem facta investigatione dubium est, an somnium sit à Deo, vel à Dæmone, tutissimum est, illud, ut à Diabolo immissum, contemni, ut docet *citt. Delrius cum aliis*; Quia Deus, cum aliquid per somnum significare intendit, solet talibus circumstantiis somnium vestire, ut de eo somniantem certum reddat, ut notat cum aliis *citt. Suarez cap. 13. n. 20.* Quapropter consilio Confessarii, vel prudentis Viri in hac parte standum erit, neque proprio iudicio fidendum.

Ad 3. Q. an pretium receptum pro usu, & exercitio magicæ artis sit restitutioni obnoxium? Respondent aliqui cum Gratiano *cap. qui habetis 14. quæst. 5.* illud, tanquam turpe lucrum, restituendum esse pauperibus, præsertim si effectus intentus non obtineatur. Tum quia est malè acquisitum & videtur tunc cessare voluntas concedentis, tum quia ob turpitudinem commissam videtur dans privatus esse jure illud recuperandi. Sed Melius alii distinguunt cum Sanch. *l. c. n. 96. Palao l. c. p. 13.* aliisque; & quidem si maleficus suæ artis concius, operam suam apposuit, & media, quæ sibi

sibi visa fuerunt sufficientia ad effectus consecutionem, non tenetur pretium receptum restituere in conscientia, nisi ad id condemnetur; quia pretium non fuit datum sub conditione, ut effectus obtineretur, sed sub conditione, ut divinaretur, seu ut maleficus operam suam & media secundum regulas suæ artis ad effectum consequendum apponeret; sicut pretium, quod datur Medico, non datur sub conditione, ut infirmo reapse restituat sanitatem, sed ut illi procuraret salutem per apta media secundum regulas suæ artis medicæ: ergo si maleficus, vel divinator operam suam, etsi turpem & media apposuit, & arte Diaboli res ita evenit, non tenetur pretium restituere; acceptum enim pro opere turpi juxta veriore sententiam non est obnoxium restitutioni; neque etiam tenetur, etsi res non ita evenit, quando ipse diligentiam suam adhibuit arte Dæmonis ad eum effectum necessariam, utpote pretio æstimabilem, idque ob rationem

paulò ante insinuatam, sicut Medicus non tenetur pretium restituere ægro, etsi hic non recuperet sanitatem, quando juxta præcepta suæ artis applicuit medicamenta, quæ ad eum effectum apta, & idonea videbantur.

Si verò maleficus signarus suæ artis magicæ nullam operam apposuit, aut ex malitia media ad effectus consecutionem noluit apponere, ut id arte Diaboli sciret, quod nullo alio pacto sciri potuit, haud dubiè tenetur pretium restituere danti; utpote qui deceptus est, siquidem pecunia datur propter operam à malefico impensam, & quidem utilem ad effectum consequendum, quod tamen factum non est. Et quamvis dans, seu ita consulens maleficum deliquerit offerendo pretium pro re turpi, verior tamen sententia, teste Sanchcitt, docet, restituendum id illi esse, donec per sententiam, ut datum pretium amittat, condemnatur.



K 2

CA-